



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Proponitur status difficultatis, & conclusio negativa statuitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ARTICULUS III.

*Utrum inter Verbum & humanitatem mediet
quidam modus substantialis per quem natura
humana formaliter conjungatur personalitati
Verbi?*

S. I.

*Proponitur status difficultatis, & conclusio
negativa statuitur.*

VT status hujus difficultatis clarè percipiatur, ⁴³
notandum est, quod sicut unio materiae cum
forma potest sumi tripliciter. Primò effectivè, pro
actione generantis, per quam materia & forma
inter se conjunguntur, & quæ potius unio quàm
unio dici debet. Secundò formaliter, pro eo quod
illa extrema formaliter inter se conjungit, sive sit a-
liquis modus substantialis, sive non, de quo dispu-
tant Philosophi in 2. physic. Tertio relativè, pro re-
latione scilicet quæ resultat inter ipsam materiam &
formam, ex eo quod inter se conjunctæ fuerunt. Ita
similiter unio Verbi Divini cum humanitate tripli-
citer usurpari potest, nimirum pro actione per quæ
Deus suâ infinitâ virtute humanitatem conjunxit
Verbo Divino, & quæ est communis tribus sanctis-
simæ Trinitatis personis, debetque dici potius uni-
tio, quàm unio; pro eo quod formaliter conjungit
humanitatem Verbo Divino; & pro relatione quæ
resultat in humanitate assumpta, ex conjunctione
illius cum Persona Verbi. Si loquamur de unione
hypostatica primo modo sumpta, certum est illam
esse quid increatum, nimirum actum divini intelle-
ctus & voluntatis, formaliter immanentem, & vir-
tualiter transeuntem. Item si sit sermo de ea tertio
modo considerata, concedunt omnes illam esse ali-
quod accidens de prædicamento relationis, resul-
tans in ipsa humanitate assumpta, cuius parte Ver-
bi correspondet solum respectus rationis. Unde to-
ta difficultas devolvitur ad unionem secundo mo-
do spectatam, de qua quæritur, an sit aliquis modus
substantialis, à Verbo & humanitate modaliter di-
stinctus, qui sit fundamentum illius relationis quæ
resultat in humanitate assumpta, & terminus for-
malis actionis unitivæ: quod ut magis declaretur.

Notandum secundò, inter Verbum & humani- ⁴⁴
tatem duplicem nos posse concipere nexum: unum
realiter & entitativè distinctum ab extremis, & qui
sit tertia quædam entitas asserens proprium esse; eo
proportionali modo quo duo lapides uniuntur per
calcem, vel duo pannij, mediante filo, quo unus af-
fuitur alteri; alterum qui sit solum modaliter di-
stinctus ab extremis, & similis illi quem plures Phi-
losophi inter materiam & formam constituunt.
Non est quæstio hic de primo nexu, sed tantum
de secundo, nimirum de modo substantiali unionis,
de quo quærimus, utrum inter Verbum & hu-
manitatem mediet, eaque formaliter inter se con-
jungat.

Affirmant Suarez, Vazquez, Cabrera, & exre- ⁴⁵
centioribus Thomistis tres illustrissimi ac eruditissi-
mi Episcopi, Herrera Tarazonensis Episcopus, A-
ravio Episcopus Segobienensis, & Godoy Episcopus
Oxomenis. Negant vero Cajetanus, Alvarez,
Nazarius, Joannes à S. Thoma, Cipullus, & alij,
cum quibus.

Dico, Verbum uniri humanitati sine ullo pro-
prietate

Mmm

lus

tus medio, aut modo, ab extremis modaliter distincto.

46. Hanc conclusionem probant plures ex nostris Thomistis ex D. Thoma in 3. diff. 2. quæst. 2. art. 2. in corpore, ubi sic ait: *Sciendum est quod in unione humana natura ad divinam, nihil potest cadere medium, formaliter unionem causans, cui per prius natura humana conjungatur, quam divina personæ: sicut enim inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis, alias esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile; ita etiam inter naturam & suppositum, non potest aliquid dicto modo cadere medium, cum utraque conjunctio sit ad esse substantiale.* Verum in hoc loco S. Doctor non excludit medium quod, sed tantum medium quod; inquit enim, an natura humana sit assumpta à Verbo; mediante gratia habituali, quæ est accidentis quoddam de genere qualitatibus, & responderet negativè, quia sicut inter materiam & formam non potest esse aliquid medium, quod per prius habeat esse in materia, quam forma: ita nec inter Personam Verbi, & humanam naturam. Et rationem assignat, quia alias esse accidentale esset prius quam esse substantiale. Quæ ratio, ut patet, non excludit aliud quam medium quod, non solum habens rationem medii, sed etiam extremi afferentis esse accidentale, quod prius sit in humanitate Christi, quam esse substantiale: medium enim quod non est aliquid accidens, sed modus quidam substantialis, non afferens esse distinctum ab esse extremorum. Unde D. Thomas in eodem articulo quæstionculâ ad 1. sic adhuc expressius aperit suam mentem: *Dicendum quod nihil prohibet accidens esse medium in conjunctione substantiali, sicut conjunctionem consequens: impossibile est autem ut sit medium conjunctionem causans.* Quibus verbis evidenter insinuat se toto illo articulo non loqui nisi de medio quod sit verum accidens, quodque non solum sit nexus, sed etiam habeat rationem extremi, quod prius uniatur nature humanæ, quam persona Verbi; eique prius conferat esse accidentale, quam habeat esse substantiale à Verbo: quod non haberet modus unionis quem admittunt Adversarii, quia volunt illum esse aliquid substantiale, modaliter ab extremis distinctum, & existens per existentiam extremorum, sive totius. Idem medium quod excludit S. Doctor hinc quæst. 6. art. 6. ad 1. his verbis: *Unio nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet eum cognoscimus & amamus; & ideo talis unio est per gratiam habituales, in quantum operatio perfecta procedit ab habitu, sed unio natura humana ad Verbum Dei, est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura.* Unde in rei veritate nullus habetur locus in quo formaliter D. Thomas excludat unionem, à natura humana & Verbo unitis distinctam, quæ solum sit modus quidam substantialis, qualem valde probabiliter Complacentes, & alii recentiores Thomistæ inter materiam & formam constituunt: quamvis (ut ostendimus, ponderando vim rationis fundamentalis) colligi possit ex illius doctrina, modum illum non esse admittendum.

47. Plures autem afferuntur rationes ab Authoribus, ad modum illum impugnandum. Prima est, quia talis modus deberet esse supernaturalis, etiam quoad substantiam: hoc autem esse impossibile colligi videtur ex eo quod non est possibilis

A aliqua substantia supernaturalis, ut ostenditur in Tractatu de Visione beatifica, disputatione 1. §. 2.

Verum hæc probatio non est efficax, nam ibidem declaravimus, ratio ob quam non est possibilis substantia supernaturalis, est quia supernaturalitas in entibus creatis consistit formaliter in beatitudine ad Deum ut est supernaturalis, & in esse objecti, sive termini, quam in esse entis, & quam ad objectum specificativum, aut finem, & naturalem: repugnat verò substantiæ rationi ordinari Deum essentialiter, quia cum substantia sit completa, utpote ens per se, & propriè se, repugnat illi dependere ab aliquo extrinseco essentialiter, tanquam à termino specificante. Hæc autem ratio convincit quidem impossibilitatem substantiæ completæ supernaturalis, sed non substantiæ incompletæ, qualis esset modus unionis, si daretur: quod non est contra rationem substantiæ incompletæ, ordinari ad aliquid extrinsecum essentialiter: materia ordinatur essentialiter ad formam, & forma ad materiam: unde etiam dici posset, duci modum unionis supernaturalis, consistentem in ascendenti habitudine ad Verbum, ut terminum naturam humanam.

Secunda ratio quam plures adducunt ad veritatem conclusionis evincendam, est quia si esset necessaria unio inter humanitatem & Verbum, & proximè quia extrema realiter distincta, nequeunt actu uniri sine aliquo medio reali, ab utroque extremo realiter distincto: Sed hæc ratio (inquunt) nulla est, quia si quid probaret, convinceret, duci processum in infinitum in unionibus: nam si extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine medio reali, & realiter distincto, modus unionis distinctus realiter ab humanitate & Verbo, non possit illis immediate sine aliquo vinculo realiter distincto copulari, de quo eadem esset difficultas, & deinceps cederetur in infinitum.

Sed ab hac etiam ratione facile possunt se excusare Adversarii, dicendo propositionem illam: *Realiter distincta nequeunt actu uniri, sine medio distincto realiter*, non esse intelligendam universaliter de quibuscumque reasiter distinctis, sed de illis solum quæ ita sunt realiter distincta, ut nec nullius essentiali ratione sit esse alteri copioctum: modus autem unionis est talis nature, ut sit essentialiter nexus duorum extremorum; & quæ, ita de eius ratione est alteri actualiter connecti ut quo, unde non copulatur extremis per aliud vinculum à se distinctum, sed immediate per seipsum; quia quod est essentialiter tale, nequit fieri tale per aliquid à se distinctum: si ergo existentia est essentialiter id quo aliquid existens non debet, nec potest, per aliquid à se distinctum existere, nec relatio referri per aliam relationem, aut actio fieri per aliam actionem. His ergo rationibus prætermis.

Probatur primò conclusio ratione fundamentalis, quæ potest sic proponi. Per illud Verbum divinum unitur actu & formaliter humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem terminatæ ultimi complementi: Sed exercet in ea rationem termini formaliter, per suam personalitatem, absque aliquo alio intermedio: Ergo per illam formaliter, absque aliquo etiam modaliter distincto illi unitur. Majore est evidens, nam cum Verbum uniatur nature humanæ, per modum termini ultimi & complementi, necesse est, ut id per quod illi unitur, sit ipsum a seuale exercitum.

terminandi: sicut quia forma unitur materiæ per modum actus informantis, illud per quod ei unitur, est exercitium actuale informantis. Minor vero probatur. Nihil creatum potest esse actuale exercitium, siue actus secundus virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra: Ergo Verbum Divinum exercet formaliter rationem terminativam naturæ humanæ, siue terminat naturam humanam in actu secundo, per solam suam personalitatem. Consequentia est evidens. Antecedens vero probatur. Non minus est infinitum Verbum Divinum, & actus purus in ratione termini naturæ, quam Deus ipse absolute in ratione principii productivi: Sed ex eo quod Deus est simpliciter infinitus, & actus purus in ratione principii productivi, exercitium producendi res ad extra non potest esse aliquid ab illius infinita virtute productiva in recto distinctum; unde docent communiter Thomistæ, Deum non operari ad extra per actionem formaliter transcurrentem, sed virtutem tantum, quæ est ipsamet actio increata, sine virtuali distinctione identificata cum virtute illius operativæ. Ergo ex eo quod Verbum Divinum est infinitum, & actus purus, in ratione termini naturæ exercitium terminandi naturam non potest esse aliquid creatum, & ab ejus personalitate realiter distinctum.

Dices, hoc argumentum convincere quidem inter humanitatem & Verbum non requiri modum aliquem unionis ex parte Verbi, sed non ostendere. Illud non requiri ex parte naturæ humanæ; nam cum illa sit finita & potentialis, non est sua terminatio passiva.

Sed contra: Si ad hoc ut Verbum uniatur naturæ creatae per modum termini, non requiratur aliquid medium ex parte Verbi, non requiratur etiam ex parte naturæ humanæ. Et ratio est evidens, nam hoc ipso quod Verbum intelligitur actu intrinsecè unitum naturæ creatae, oportet ut ipsa pariter eidem intelligatur intrinsecè unita: Ergo si Verbum intrinsecè communicat se humanitati per modum termini, siue aliquo medio realiter distincto, etiam natura humana erit eidem intrinsecè unita absque aliquo medio. Consequentia patet. Antecedens probatur. De ratione unionis est quod sit plurium vinculum, & quod plura inter se conjungat & copulet: Ergo si impossibile est materiam esse unitam formæ, nisi etiam, præciso quocumque alio, forma sit unita materiæ, ita implicat quod Verbum intelligatur actu intrinsecè unitum naturæ humanæ, nisi etiam reciprocè ipsa humanitas illi conjuncta intelligatur, præciso quocumque alio. Unde si ad hoc ut Verbum uniatur humanitati assumptæ per modum termini, non requiratur aliquid medium ex parte Verbi, non requiritur etiam ex parte naturæ humanæ.

Confirmatur hæc ratio fundamentalis: Subsistentia creata immediate unitur per se ipsam naturæ creatae: Ergo multo magis id debet concedi subsistentiæ divinæ. Antecedens videtur certum, Tum quia subsistentia nullam formaliter exercet causalitatem in natura, sed puram rationem terminativam terminus autem immediate seipso terminat. Tum etiam, quia si admittatur aliquis modus substantialis, per quem subsistentia conjungatur naturæ quam terminat, oportebit etiam fingere alium modum substantialem unionis inter existentiam & suppositum, & sic modorum non erit modus. Consequentia vero probatur: Personalitas Verbi est simpliciter infinita, & actus

lissima in ratione terminandi, continet enim omnem perfectionem & rationem terminandi, seclusis imperfectionibus quæ in creatis subsistentiis reperiuntur: Ergo si subsistentia creata immediate per se ipsam terminet naturam creatam, multo magis id debet concedi subsistentiæ increatae Verbi.

Nec valet si dicas, subsistentiam creatam esse suam rationem terminandi, quia est modus quidam nam inde sumitur optimum argumentum ad probandum etiam personalitatem Verbi Divini posse per se ipsam actualiter terminare humanitatem Christi: nam si subsistentia quæ est modus, ac proinde realitas valde imperfecta & potentialis, id habet, potiori jure id habebit subsistentia Divini Verbi, quæ est actualissima, continetque omnem perfectionem ipsius creatæ subsistentiæ.

Ex hac ratione desumpta ex principiis D. Thomæ, duo intelliges: Primum est, quod licet nostra conclusio non habeatur formaliter in terminis apud S. Doctorem, eam tamen ab ipso insinuari omnibus locis, in quibus secundum communem Ecclesiæ consensum docet unionem humanitatis cum Verbo esse factam in persona, & naturam humanam formaliter & per se primò ad personalitatem Verbi esse assumptam. Non agitavit autem specialiter hanc difficultatem, sed ex clulo medio quod asserente esse accidentale, de quo solum temporibus ipsius erat controversia inter Theologos, existimavit se sufficienter conclusionem positam insinuare, dicendo unionem humanæ naturæ cum Verbo, fuisse factam formaliter in persona.

Secundum quod ex eadem ratione colligitur, est malè eos argumentari, qui probant dari medium inter humanitatem & Verbum, quia datur medium inter materiam & formam: admittit enim opinione illà probabili, quæ admittit modum unionis inter materiam & formam, assignatur notabilis ratio discriminis. Primò quia materia & forma sunt veræ causæ exercentes ad invicem & respectu totius causalitatem, atque ita earum causalitas debet esse aliquid medium inter illas, sicut etiam causalitas omnium aliarum causarum, est aliquid realiter medium inter illas & earum effectus. Secundò, quia non est de ratione formæ esse actu unitam materiæ, nec è contra. At verò personalitas Verbi non exercet ullam causalitatem respectu naturæ humanæ, sed puram rationem termini, de cuius natura est actu terminare, atque ita per se ipsum immediate rei terminatæ uniri.

Probatur secundò conclusio aliâ ratione quam fusè prosequitur Cipullus hic dubio 2. §. 3. Si Pater vel Spiritus Sanctus unirentur humanitati à Verbo assumptæ, aut alteri naturæ creatæ, unio ipsorum fieret sine ullo modo substantiali intermedio: Ergo & unio Verbi cum humanitate assumptæ, siue tali medio facta est. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò in quo est difficultas, sic ostenditur. Si ad hoc ut Pater & Spiritus Sanctus unirentur naturæ creatæ, esset necessarius aliquis unionis modus, vel ille esset ejusdem rationis cum eo qui de facto conjungit Verbum humanitati, in sententia Adversariorum, vel diversæ? Neutrum dici potest: Ergo &c. Minor quoad primam partem probatur. Illi unionum modi non possunt esse ejusdem rationis, qui habent terminos diversæ rationis quasi specificæ: Sed modi unionum copulantes Pa-

tem & Spiritum Sanctum naturæ creatæ, habent terminos diversæ rationis ab eo qui Verbum conjungit naturæ humanæ: Ergo non essent ejusdem rationis cum eo. Minor pater, quia licet personæ divinæ sint ejusdem essentiae, tamen in ratione personæ sunt quasi diversæ speciei, cum constituantur proprietatibus relativis diversæ rationis: unio autem naturæ creatæ cum divinitate, non fit immediate in natura, sed in persona; unde terminus primarius illius, & immediatus, est divina persona. Major verò probatur: Modus unionis debet à termino specificari: Ergo cum diversitate quasi specificæ terminorum, non potest stare unitas specifica unionum: unde propterea in sententia probabilis, quæ ponit unionem inter materiam & formam, unio illa quæ conjungit corpori animam rationalem, est diversæ rationis ab illa quæ unit corpori animæ equi.

Suadet etiam Minor principalis, quoad secundam partem. In entibus absolutis diversæ speciei, reperitur semper excessus & defectus secundum perfectionem specificam, quia species se habent veluti numeri, ut docet Aristoteles: Sed tam perfectus esse deberet unus illorum modorum unionis qui conjungerent tres personas naturæ creatæ, quàm alius: Ergo non posset esse diversæ rationis specificæ. Major pater, Minor etiam videtur certa, quia non esset unde inæqualitas eorum delumeretur, cum divinæ personæ per ordinem ad quas essentialiter constituerentur, sint æquales in perfectione.

Quod si dicas posse reperiri inæqualitatem ex parte naturarum quæ assumi possunt, hanc responsioni via præcluditur, si supponatur tres personas divinas assumere tres humanitates. Adde quod unio Dei cum natura creatæ ad esse personale, est summa communicatio Dei ad extra: Ergo non posset unio unius personæ esse perfectior unioni alterius, aliis ista non esset summa, quod est contra rationem unionis hypostaticæ cum natura creatæ.

§. II.

Precipue objectiones solvuntur.

59. **O**bjic' primò: Natura quæ ad plura indifferens est & indeterminata, non potest unum illorum habere determinatè, nisi ei aliquid superaddatur; unde cum humanitas ex se indifferens sit ut terminetur per propriam substantiam creatam, vel per substantiam incretam Verbi Divini, ut terminetur personalitate Verbi, eget aliquo superaddito: Sed illud non potest esse nisi modus substantialis unionis: Ergo talis modus in humanitate assumpta necessariò admittendus est. Major videtur manifesta, si enim nihil adveniat rei indifferenti & indeterminatæ, eodem modo se habebit ac se habebat antea, atque adèd semper manebit in sua indifferencia & indeterminatione. Minor verò probatur. Illud superadditum vel erit actio unitiva Dei, vel relatio resultans in humanitate assumpta, vel modus substantialis unionis: Primum dici non potest, quia actio unitiva extrinseca est humanitati, & statim transit facta unione. Secundum etiam non potest affirmari, quia illa relatio consequitur ad unionem jam factam, & supponit, saltem prioritate naturæ, ipsam naturam humanam esse terminatam à personalitate Verbi: Ergo solum restat modus ille unionis, per quem natura humana

A determinetur ad recipiendam substantiam Verbi Divini.

Confirmatur: Humanitatem esse hypostaticè unitam Verbo Divino, & terminatam personalitate ipsius, est aliqua formalitas realis in re natura novo existens: Sed hæc formalitas non est solitas humanitatis, aut Verbi, quia entitas incrementi Verbi erat ab æterno, ac proinde ante unionem hypostaticam; & similiter humanitas prius saltem naturæ productæ erat quàm unitetur Verbo: Ergo præter entitatem humanitatis & Verbi, debet peraddi aliquis modus unionis, per quem humanitas dicatur unita Verbo hypostaticè, & ab illa substantialiter terminata.

B Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Natura quæ ad plura indifferens est & indeterminata, ex natura sua, non potest unum illorum habere determinatè, nisi ei aliquid superaddatur, concedo Majorem. Natura quæ ad plura indifferens est solum ex potentia obedientiali, nego Majorem. Natura verò humana non est se & ex propria natura indifferens ad hoc terminetur per propriam personalitatem creatam, vel per substantiam Verbi Divini: est enim sua natura determinata ad propriam substantiam, quàm connaturaliter exigit, & solum indifferens est ex potentia obedientiali, quæ qualibet creatura subditur Deo ut in ipsa faciat quicquid non implicat contradictionem. Unde illa non indiget modo substantiali unionis, ut ad incrementum Verbi Divini substantiam determinetur; sed hoc sufficit actio unitiva Dei, quæ cum efficacia sit, potest ea unire quæ longissime etiam ad invicem distant. Et licet talis actio secundum se extrinseca sit humanitati, & transeat facta unione, tamen est intrinseca ratione sui termini formalis, in quo etiam virtualiter semper manet, nimirum ratione substantiæ Verbi Divini, ut communicat humanitati, quæ ut infra dicemus, est terminus formalis actionis unitivæ Dei.

D Adde quod argumentum illud facile potest retorqueri in Adversarios: Natura enim humana secundum se est indifferens ad hoc ut recipiat, vel non recipiat illum modum substantialem unionis quem admittunt: Ergo ut illum recipiat, debet determinari per alium modum, & tunc ut recipiat illum alium modum, debet determinari per alium, & sic dabitur processus in infinitum. Sicut ergo Adversarii teneantur respondere naturam humanam non indigere aliquo modo vel entitate superadditâ, ut determinetur ad recipiendum modum illum substantialem unionis, qui sine dubio supernaturalis est, supposito quod datur, quia non est indifferens ad illum modum ex natura sua, sed solum ex potentia obedientiali, & sufficere actionem unitivam Dei, quæ producat effectivè talem modum in humanitate. Ita ut dicimus, ad hoc ut natura humana terminetur per substantiam incretam Verbi, non indiget aliquo modo substantiali, sed sufficere actionem unitivam Dei, quæ hujusmodi extrema inter se conjungat.

E Ad confirmationem respondeo humanitatem esse hypostaticè unitam Verbo Divino, & terminatam personalitate ipsius, esse quid reale in re natura de novo existens, non tamen modum substantialem unionis, nec solum naturam humanam præcisè, aut solum personalitatem Verbi, sed esse ipsam naturam humanam, ut terminatam divinæ personalitate, sive ut communicat